

in responsione ad Pucc. p. 256. R. Diversa est in locis etatis phrasos emphasis. Rom. 11, 11. ait Paulus ἡ ὁρθωμα. Rom. 5, 12. non ait ἡ ἀμαρτία, sed ἡ τῆς ἀμαρτίας ut ibi occasio, hic verò causa, innuatur, quam harmonia biblica confirmat.

IN LOCO DE PECCATO ORIGINALI.

THEOREMATA.

1. IN præcedentibus indicatum est, quotupliciter sumatur peccatum originale. De primo sensu in præmissis egimus, de posteriori in sequentibus agendum est.

2. Etsi verò multi inveniantur, qui tale peccatum originis negant, non tamen desunt firmissima argumenta, quibus corruptio naturæ, sive peccatum originale, demonstratur. Ista verò suppeditant, 1. dicta Scripturæ, Gen. 5, 3, cap. 6. v. 5. Psal. 14, 2. 3. Psalm. 19, 13. Psal. 51, 7. Matth. 7, 18. cap. 12, 34. cap. 15, 19. Joh. 3, 5. Rom. 5, 14. Eph. 2, 5, 2. Rationes ab analogia fidei petitæ. Nam (1.) Circumcisio non obscurè indicavit naturalem corruptionem, utpote in eum finem instituta, ut masculi purgarentur à peccato: ideoq; in eo membro peracta est, in quo peccati effectus ostenditur; & per quod genus humanum carnaliter propagatur. 2. Baptismi oblatio itidem id innuit, his enim qui peccatum habent, confertur Baptismus, & quidem in remissionem peccatorum, Act. 2, 38. Est lavacrum regenerationis, Tit. 3, 5. abluens fortes non carnis, sed conscientiæ, 1. Pet. 3, 21. &c. (3.) Concupiscentia in renatis residua pariter hoc evincit. Hi quamvis vitent delicta voluntaria, tamen conqueri coguntur, quod peccatum in illis habitet, Rom. 7, 17. 20. hoc est, non transeat, sed fixam in carne sedem inveniat. Hoc præter actuale aliud sit necesse est, nimirum Originale, ipsi naturæ firmissimè infixum. Nititur ergo illa distinctio illis locis, ubi carnis & operum radicis, & germinis arboris & fructuum sit mentio.

3. Est verò peccatum originale imaginis divinæ & justitiae originalis spoliatio, & omnium virium animæ & corporis misericordialis depravatio, infirmitas & prava inclinatio, è lapsu protoplasmorum orta, & ab illis in omnes posteros, per carnalem generationem pro-